

P. PETRUS LUMBRERAS OP

## DE SPEI THEOLOGICAE HONESTATE

Quoniam spes nominat concupiscentiae amorem, imperfectum ac interessatum, nosque spes ducit ut exurgamus quidem usque ad Deum sic attamen ut ditati Deo revertamur inde ad nosipsos, ultronea cum iansenistis, quietistis et semiquietistis divinarum rerum studiosos occursat disputatio.

Iansenistae asserebant spem esse inhonestam nec honestari posse quandiu non convertatur caritate in amorem benevolentiae. Quietistae (Molinos) affirmabant spem omnino impossibilem cum amore puro. Semiquietistae (Fénelon) contendebant statum puri amoris dari habitualement in quo amor interessatus partes obtinet nullas. Amorem igitur castae concupiscentiae (ut dicitur) iansenistae pronuntiarunt pravum omnibus; quietistae, perfectorum indignum; semiquietistae, a quodam statu perfectionis alienum prorsus.

Contra quos oportet ostendamus theologicae spem secundum se et absolute sumptam, esse moraliter bonam seu honestam et esse cum amore puro compossibilem nec dari in hac terrena vita status puri amoris in quo interessatus alius amor partes nullas obtineat.

### I

Et de bonitate seu honestate quidem spei secundum se plures loquuntur textus Scripturae. „Nihil enim magis decretorium quam auctoritates quibus provocamur ad operandum intuitu retributionis aeternae, ac per hoc, ad concupiscendum retributionem illam quae est Deus ipse, summum bonum nostrum, beatitudo

nostra et merces magna nimis" <sup>1</sup>. Satis sit haec verba revocare ex Novo Testamento: „Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam" <sup>2</sup>; „Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis" <sup>3</sup>; „Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae" <sup>4</sup>.

Adest insuper definitio Tridentini contra Novatores: „Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur: A. S." <sup>5</sup>. Fuerunt quoque damnatae iansenistarum hae propositiones: „Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est. Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum ut caelestem gloriam obtineat, non est recta nec Deo placens. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur" <sup>6</sup>.

Ratio accedit multiplex. Nam praeterquam bonus et honestus est actus quo tendimus in obiectum bonum, Deum scilicet — qui non desinit esse bonus ideo quod veniat finis ultimus seu beatitudo nostra — honestus insuper ac bonus amor ille est dicendus quo Deum amamus quatenus Ipse bonus ac amabilis est; est autem non solummodo bonus Sibi — amabilis in Se —, verum et bonum nostrum — seu amabilis qua beatificans nos —. Nec caritati sic amor ille concupiscentiae opponitur ut ipsammet excludat, nam cum Deus bonus sit in Se et bonus etiam nobis, ob utramque bonitatem hanc amari poterit, et ideo utroque amore; non etenim negamus Ipsum esse amabilem in Se dum

<sup>1</sup> Billot, *De virtut. inf.*, th.27; ed.3,p.375.

<sup>2</sup> I Cor., 9, 25.

<sup>3</sup> Col., 3, 23sq.

<sup>4</sup> Apoc., 2, 10, *Peut-on croire que Dieu promette, et qu'il présente aux hommes une si grande félicité, et ne veuille pas qu'ils l'estiment, qu'ils l'aiment et qu'ils la recherchent autant qu'elle mérite?* (Massoulie, *L'Amour de Dieu*, p.II, ch.4; ed. 1866, p. 180).

<sup>5</sup> Denz., 841.

<sup>6</sup> Denz., 1297, 1300, 1303.

Ipsum diligimus quatenus bonum nostrum, sed ab illa consideratione pro tunc abstrahimus<sup>7</sup>. Immo, quoniam novimus beatitudinem esse adeptu impossibilem absque caritatis meritoriis actibus<sup>8</sup>, spes, nedum caritatem excludat, ad caritatem potius introducit; sed et propterea quod volumus nobis beatitudinem quam unus Deus largitur, excitamur ad diligendum Deum<sup>9</sup>.

Opponunt profecto iansenistae quod agens mercedis igitur agit ex mercenario amore, qui proculdubio malus ac caritati contrarius est. Respondemus amorem mercenarium proprie illum esse quo quis servit Deo ob unam mercedem temporalem; in casu tamen merces appetitur aeterna, nec ideo loqui possumus de mercenario amore nisi improprio latosque sensu — cuius ma-

---

<sup>7</sup> *L'entendement (des Bienheureux) multipliant en liberté ses idées et considérant profondément toutes les diverses perfections de Dieu, dont chacune est une raison très-suffisante de l'aimer, il faut nécessairement que la volonté multiplie aussi ses actes. Ainsi elle se porte vers Dieu par des mouvements différents, très-conformes aux impressions que toutes ses perfections et toutes leurs raisons différentes de l'aimer lui feront sentir. Cette multitude d'idées et d'actes se trouve encore plus dans les hommes, parce qu'ils ne connaissent pas les choses parfaitement, et qu'ils ont besoin de divers actes et de diverses conceptions pour les pénétrer. Dans l'état où nous sommes, dit encore saint Thomas, nous ne connaissons Dieu, et nous ne parlons de Dieu que comme de petits enfants qui bégayent. Lorsque nous le considérons en lui-même, et comme un être souverain, nous l'appelons Dieu; lorsque nous voyons qu'il se communique, nous disons qu'il est bon; lorsqu'il récompense le mérite, nous l'appelons juste; lorsqu'il punit, il nous paraît sévère. D'où vient que, pour parler avec la dernière exactitude, ajoute excellemment ce saint Docteur, il faut dire, que si je considère Dieu comme Dieu, je l'adore; si je le considère comme juste, sa justice m'imprime la crainte; mais enfin, si je le considère comme bon, je l'aime, et je soupire après sa possession (M a s s o u l i e, op. cit., p. I, ch. 3; p. 34 sq.).*

<sup>8</sup> Notum est praeceptum dilectionis Dei obligare per se saepius in vita (Denz., 1155, 1157, 1289), et saltem quolibet quinquennio (Denz., 1156), de maiori frequentia necessaria licet A.A. non concordet. — „Praeparatio hominis ad gratiam habendam, quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae. Et talis operatio est quidem meritoria; sed non gratiae quae iam habetur, sed gloriae, quae nondum habetur” (S.Th., I—II, 112, 2, 1 m).

<sup>9</sup> Ita generationis ordine spes praecedit caritatem (cf. S.T., II—II, 17, 8).

litia et contrarietas adversus caritatem essent propterea demonstrandae<sup>10</sup>.

Instant: Ordinare melius ad minus inordinationem certam nominat; a fortiori, ordinare Deum, supremum bonum, ad nos, pusilla bona. Reponimus necessario distinguendam esse ordinationem quae est melioris ad minus bonum uti ad finem proximum atque uti ad finem ultimum. Verbis etenim D. Thomae: „Aliquid potest esse propter aliud dupliciter. Aut quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium et principalem; et sic inconueniens est dicere quod aliquid sit propter vilius se, ut luna et stellae propter noctuas et vespertiones; cum finis potior sit his quae sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua utilitas, eo modo quod posset rex dici propter rusticum, ex cuius regimine provenit ei pax; et per hunc modum est intellegendum quod in littera dicitur (scilicet, lunam atque sidera ideo esse facta ut luceant propter talia animalia): omnes enim utilitates quae ex corporibus caelestibus proveniunt inferioribus, sunt a Deo provisae, qui corpora illa instituit”<sup>11</sup>. Sic et Verbum propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis; sic et sacerdos Missam celebrat ad obtinendam aegroto sanita-

<sup>10</sup> „Amor mercenarius dicitur qui Deum diligit propter bona temporalia; quod secundum se caritati contrariatur; et ideo amor mercenarius semper est malus” (S.Th., II—II,19,4.3 m.). — Ad obiectionem: „Ioa. 10 (12 sq.) mercenarius vituperatur; sed mercenarius dicitur qui mercedem quaerit”, respondet Angelicus: „Mercenarius ibi dicitur qui opus spirituale propter mercedem temporalem exercet” (in 3, d. 29, q. 1, a. 4, 1 m.). Et quaestionem: Num possint boni etiam pastores quarere mercedem, sic ipse solvit: „Merces potest accipi dupliciter: scilicet communiter et proprie. Communiter quidem, omne quod meritis redditur dicitur merces: et quia vita aeterna quae est Deus... meritis redditur, ideo ipsa vita aeterna merces dicitur. Et hanc mercedem potest et debet quaerere quilibet bonus pastor. Proprie autem dicitur merces aliquid segregatum ab hereditate; et ad hanc non debet habere respectum ille ad est verus filius, ad quem spectat hereditas; sed qui eam respectum habent servi et mercenarii. Unde, cum vita aeterna sit hereditas nostra, qui operatur habens ad eam respectum, operatur ut filius” (in Ioa. 10, lect. 3; ed Marietti, p. 285).

<sup>11</sup> In 2, d. 15, q. 1, a. 1, 6 m.

tem, atque cuncti fideles, quoties creatum aliquid, naturale aut supernaturale, petimus a Deo, ordinamus potentiam Dei ad aliquid inferius. Verum hic finis proximus non necessario opponitur fini ultimo, de se cum in finem huiusmodi referibilis sit et caritate referri debeat<sup>12</sup>.

Urgent: Qui divitias sibi concupiscit, has diligit appreciative minus se; ergo et dum amore concupiscentiae amamus Deum, appreciative nos prae Ipso diligimus, Verum negamus paritatem: dum enim divitias nobis concupiscimus, tota ratio cur amamus illas est quoniam sunt bona nobis, sic videlicet quod omnis alia bonitatis ratio excludatur; dum spe tamen concupiscimus nobis Deum,

---

<sup>12</sup> „Eadem ratio est de dono seu dato alteri, et de concupito: actus enim exterior signum et effectus est actus interioris; quod enim alteri datur, illi procul dubio concupiscitur. Sed constat datum alteri, ut sic, non ordinari in illum cui datum est ut finem. Ergo concupitum, ut sic, non ordinatur ad eum cui concupiscitur ut finem. Manifestatur minor ex auctoritate Scripturae tradentis quod Deus dedit Filium suum nobis, ita quod ex hoc commendatur caritatis divinae excellentia quod non solum dedit nobis redemptionem, doctrinam et alios effectus quod Filius Dei fecit, sed dedit nobis ipsum Filium... Et fundatur hoc, quia quot modis contingit aliquid esse bonum alicuius amati, tot modis contingit esse concupitum illi: alioquin non posset quis velle aliqui omnia sua bona. Sed contingit aliquid esse bonum alterius non solum propter ipsum, sed e converso ut finem ipsius. Ergo contingit aliquid esse concupitum alicui quod non ordinatur ad illum ut finem, sed e converso. Possum enim concupiscere amico mihi, vel amico meo, finem ultimum, propter quem sumus, absque derogatione illius finis: quae interveniret si ipse finis ordinaretur in me vel amicum meum ut in finem. Cum his tamen tene quod omne concupitum secundum aliquid est concupitum propter eum cui concupiscitur: quia oportet salvare in omni concupito amorem amicitiae, quo magis amatur is cui concupiscitur quam concupitum. Unde si concupita res sit simpliciter ordinabilis in eum concupiscibiliter ut finem, concupitum simpliciter habet rationem eius quos est esse propter amicum. Si autem non sit simpliciter ordinabilis in eum ut finem, tunc concupitum secundum quid tantum, scilicet secundum aliquem effectum eius, habet rationem eius quod est esse propter amicum. Et quoniam concupitum non est significans amatum propter alterum, sed amatum alteri; et consequenter non significans bonum propter alterum, sed bonum alterius, cui scilicet concupiscitur, quod amicitia amatur: ad utrumque, scilicet ordinabile simpliciter et non ordinabile simpliciter, se extendit; et consequens oportet ut abstrahat ab utroque” (Caietanus, in II—II, 17, 5, n. 6).

abstrahimus quidem ab alia bonitate, quam tamen non excludimus; porro abstrahentes, comparisonem cum instituant nullam, nequeunt dici appreciare unum prae altero. At saltem, inquirunt, in hoc concupiscentiae amore homo non amat Deum plus quam amat se. Respondemus subiectum cui bonum volumus amari benevolentiae amore, qui cum non sit spei, nec comparari potest cum amore concupiscentiae quo amamus obiectum sive bonum; porro non nisi facta comparatione loqui de amore maiori atque minori licet. Si autem Deus concupitus comparetur ad cetera concupiscibilia, indubium est omnino Deum amore concupiscentiae amari prae his quibuscumque omnibus: est etenim summum bonum quod appetimus.

## II

Spem quoque esse cum puro amore compossibilem facile comprobatur. Nam caritas, imprimis, non est unica virtus, at fert secum aliarum virtutum theologicarum omniumque moralium splendidam cohortem. An dicemus operativos hos omnes habitus simul cum caritate Deum infundere qui remaneant otiosi, qui, saltem crescente caritate, fructum afferant nullum? Fructus, econtra, quem affert caritas adiuta aliis virtutibus dignior est ac copiosior<sup>13</sup>.

Accedit quod caritas, prout importat benevolentiam mutua[m] super communicationem aliquam fundatam<sup>14</sup>, importat quoque amorem, eumque veluti genericum elementum contractum ad speciem per benevolentiae mutuae differentiam. Ex parte igitur differentiae specificae movet profecto ad dilectionem Dei propter Seipsum; verum dilectio nec intellegi quidem potest absque

<sup>13</sup> „Sic martyrium, actus imperatus caritate, fortitudine elecitus; sic et virginitas voto dicata Deo. Hinc est quod vita activa ex contemplationis abundantia sit uni vitae contemplativae praefenda (S. Th., II—II, 182, 2, 3 m; 188, 6); quem ad modum dilectio Dei et proximi eminet supra solam Dei dilectionem (S. Th., II—II, 27, 8). Ipsi vel episcopi, qui sunt in statu perfectionis et quidem exercendae, qui habent se ad religiosos quoque uti perfectores ad perficiendos, vacare debent operibus vitae activae, proximis inservientes propter Deum, nam „est maioris dilectionis signum, ut homo propter amicum etiam alii serviat, quam si soli amico velit servire” (S. Th., II—II, 184, 7, 2 m).

<sup>14</sup> S. Th., II—II, 23, 1.

desiderio unionis cum dilecto<sup>15</sup>; at unionem cum Deo perfectam non nisi in beatitudine obtinebimus. Hinc quod in ipsa dominica oratione petere iubeamur non modo sanctificetur nomen tuum, per quod petimus gloriam Dei, sed insuper adveniat regnum tuum, per quod petimus ut perveniamus ipsi ad gloriam regni Eius<sup>16</sup>.

Si autem amor caritatis quatenus caritatis non excludit desiderium nostrae beatitudinis, a fortiori ubi consideretur quatenus amor. Ut amor siquidem nos movet et impellit in bonum nostrum<sup>17</sup>. Sed Deus venit bonus in Se et bonus nobis; haec altera bonitas, cum sit Dei, est etiam ratio cur amemus Deum; et, si quo maiora beneficia accipimus a Deo, impetu potiori ducimur ad diligendum Deum, ipsa spes beneficii summi, potius quam opponatur caritati, hanc parat, nutrit, fovet. Ad verbum ideo S. Augustini: „Caritas est virtus qua Deum videre perfruique Eo desideramus; hoc autem est concupiscentiae“, opportune notat

---

<sup>15</sup> „Quaedam unio est effectua amoris; et hanc est unio realis, quam amans quaerit de re amata: et haec quidem unio est secundum convenientiam amoris. Ut enim Philosophus refert, II Politic., Aristophanes dixit quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum: sed quia ex hoc accideret aut ambos aut alterum corrumpi, quaerunt unionem quae convenit et decet; ut scilicet simul conversentur, et simul colloquantur, et in aliis huiusmodi coniungantur“ (S. Th., I—II, 28, 1, 2 m). — Confirmationem practicam huius doctrinae offert S-ta Theresia, *Moradas*, VI, c. 11, ubi agit *de unos deseos tan grandes e impetuosos que da Dios al alma de gozarle, que ponen en peligro de perder la vida*.

<sup>16</sup> S. Th., II—II, 83, 9.

<sup>17</sup> „Sicut simpliciter amabile est id quod est simpliciter bonum, ita unicuique amabile est illud quod est sibi bonum“ (S. Th., in 8 *Ethic* lect. 2; ed. Pirotta, n. 1554). — „Dato, per impossibile, quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi“ (S. Th., II—II, 26, 13, 3 m). — *Si par imagination de chose impossible, il y avoit une infinie bonté à laquelle nous n'eussions nulle sorte d'appartenance et avec laquelle nous ne pensions avoir aucune union ni communication, nous l'estimerions certes plus que nous memes; car nous connoistrions qu'estant infinie, elle seroit plus estimable et aymable que nous, et par conséquent nous pourrions faire de simples souhaits de la pouvoir aymer; mais, a proprement parler, nous ne l'aymerions pas* (S. François de Sales, *L'Amour de Dieu*, X, 10; *Oeuvres*, V, 1904, p. 203).

D. Thomas: „Quaelibet amicitia concupiscentiam seu desiderium includit et aliquid super eam addit”<sup>18</sup>.

Id denique suadetur exemplo Apostolorum, de quibus ipse Angelicus Doctor: „Non est expectandum quod sit aliquis status futurus [in hoc saeculo] in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur quam hactenus habita fuerit, maxime ab Apostolis, qui primitiae Spiritus acceperunt, id est tempore prius et ceteris abundantius”<sup>19</sup>; et alibi: „Apostoli sunt omnibus aliis Sanctis, quacumque praerogativa praefulgeant, sive virginitatis sive doctrinae sive martyrii, praeferendi, tamquam abundantius Spiritum Sanctum habentes”<sup>20</sup>. Quorum attamen omnium vice haec Paulus loquitur: „Nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri”<sup>21</sup>.

Quapropter proscriptae fuerunt ab Ecclesia Quietistarum hae propositiones: „Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva. Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cuius spem expurgare debet. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas; quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes”<sup>22</sup>.

Sed obiciunt Quietistae: Adveniente quod perfectum est, imperfectum ilico evacuatur; ergo cum amore perfecto caritatis non manet simul imperfectus amor concupiscentiae seu spei. Reponimus quod perfectio adveniens tollit quidem imperfectionem sibi oppositam; imperfectionem tamen quae est amoris spei non opponi perfectioni quae competit amori caritatis: quem

<sup>18</sup> In 3, d. 27, q. 2, a. 1, 1 m.

<sup>19</sup> I—II, 106, 4.

<sup>20</sup> In Rom., c. 8, lect. 5; ed. Marietti, p. 117.

<sup>21</sup> Rom., 8, 23.

<sup>22</sup> Denz., 1223, 1227, 1232, 1251.



ad modum etenim „nihil prohibet simul aliquid cognoscere per diversa media, sicut simul potest aliquid cognosci per medium probabile et demonstrativum”<sup>23</sup>, immo et aliquid demonstrari simul per medium physicum et medium mathematicum<sup>24</sup>, ita nihil impedit quominus Deus ametur simul ex diverso motivo, quoniam bonus videlicet in Se et quoniam simul bonus est nobis.

Perstant: Perfecta caritas foras mittit timorem (I Ioa. 4, 18); ergo excludit pariter mercedis intuitum. Respondet D. Thomas: „Bonum de quo est spes magis est consonum amori, quam malum de quo est timor. Et ideo quamvis perfecta caritas foras mittat timorem poenae, non tamen oportet quod foras mittat intuitum mercedis”<sup>25</sup>.

### III

Nec datur, in hac terrena vita status habitualis tam puri amoris in quo interessatus amor partes nullas obtineat. Nam status proprie loquendo, dicit positionis differentiam secundum quam aliquis disponitur ad modum suae naturae cum quadam immobilitate, seu non ex aliqua causa levi vel facile mutabili, verum ex aliquo permanente<sup>26</sup>. Porro, quantumcumque dilectio Dei in Se actus sit perfectissimus, non valemus, ob naturae fragilitatem, in illo permanenter vel diu subsistere: corpus enim quod corrumpitur aggravat animam<sup>27</sup>, et „mens humana propter infirmitatem naturae, diu in alto stare non potest: pondere enim infirmitatis humanae deprimitur anima ad inferiora”<sup>28</sup>; quapropter, universaliter, Angelicus: „Nulla actio potest diu durare in sui summo”<sup>29</sup>.

De reliquo, hic status, licet foret possibilis, non esset perfectissimus. Quoniam, licet actus dilectionis Dei perfectior veniat

<sup>23</sup> S. Th., I 62, 7, 1 m.

<sup>24</sup> S. Th., I—II, 54, 2, 2 m.

<sup>25</sup> In 3, d. 29, q. 1, a. 4, 5 m.

<sup>26</sup> S. Th., II—II, 183, 1.

<sup>27</sup> Sap., 9, 15.

<sup>28</sup> S. Th., II—II, 83, 13, 2 m.

<sup>29</sup> II—II, 180, 8, 2 m.

cum ceterarum virtutum tum ipsius caritatis aliis actibus, actus tamen sive amoris ad proximum sive virtutum reliquarum ibi dum imperantur caritate ad Deum redduntur perfectiores ipso amore Dei: iam enim supra diximus fructum quem edit caritas digniorem et copiosiore esse ipsi dum opem ferunt quas virtutes vult sibi comites. Ideo damnavit Innocentius XII doctrinam Fenelonii <sup>30</sup>.

Argumentis adversariorum Fénelon fuit perductus ad distinguendam spem quandam perfectam, quam definivit desiderium disinteressatum promissionum. Verum cum et hanc definitionem condemnaret Ecclesia <sup>31</sup>, coactus est ingredi novam viam. Distinxit igitur duas spes, aliam interessatam et aliam disinteressatam. Sed differuntne specie? Quoniam si actus spei disinteressatae caritate eliciatur, spes disinteressata erit prorsus inutilis.

Unde processit ut admitteret spem manere interessatam, sed, quoniam eminenter contenta in caritate, virtute perfectiori, actu caritatis perfecti satis facerent spei praecepto. Responsum fuit caritatem, non ideo quod spe perfectior existat, huius actum supplere; nec eousque nos perfectos esse qui stimulo non indigemus, maxime in momento difficultatis et anxietatis; nec caritatem solam infundi, quae propterea sine adiutorio ceterarum virtutum operetur.

Ulteriorem ergo conatum addidit: In perfectis caritas, dum spei actum imperat, spem reddit disinteressatam. At quomodo ex imperio caritatis amitteret spes quod habet sibi proprium? Finis etenim operantis non destruit finem operis, ideo quod ipsi accidit.

Postremo igitur Fénelon distinxit in spe interessata duplex elementum, naturale unum, supernaturale alterum; porro purificata spes ab elemento naturali iam fit perfecta. Manet attamen difficultas, nam si quis auferat interesse a spe, non perstat amplius spei notio traditionalis, et ubi ponamus spem interessatam actum esse dumtaxat naturalem, imperfecti non poterunt

<sup>30</sup> Denz., 1327 sqq.

<sup>31</sup> Denz., 1337.

actum implere spei praeceptum, quippe qui, proculdubio, supernaturalis ipse sit oportet<sup>32</sup>.

Nonnulli etiam philosophi contradictoribus huius doctrinae theologicae calculum adiecerunt, vocitantes bonum forsitan esse agere propter praemium, indubitanter melius propter unum officium agere.

Quibus cum Aristotele reponimus quod, licet philosophari sit melius quam ditari, indigenti tamen melius est ditari quam philosophari<sup>33</sup>; aliis verbis, quod quaedam meliora sunt in se, quin ideo meliora sint quoad nos. Deus impossibilia non iubet. Ut quae iubet possible fiant, morem gerit conditioni humanae, miscens utili dulce. Quoniam haec est hominum conditio, teste experientia, ut ex amore nostri procedamus ad diligendos alios: „per hoc enim quod aliquis reputat per aliquem se posse consequi aliquod bonum, incipit amare ipsum”<sup>34</sup>. Est pariter hominum conditio, experientia iterum teste, ut intuitu retributionis acceptemus officium eique assidue vacemus; ex hac autem assiduitate ipsi postmodum ac propter se adhaeremus.

Propter officium operamur quidem caritate, quia diligimus Deum prouti bonum in se. Propter officium insuper operamur opera ceterarum virtutum, cum virtutem semel adepti, in statu vel perfectione virtutis, operemur prompte et delectabiliter ob virtutis cuiusque bonum.

Non nisi spe operamur mercedis intuitu; quae ideo et introducit caritatem et manducit ad vitam virtuosam. Quae insuper illam et hanc tuetur, iis videlicet in adiunctis in quibus homo non experitur harum omnium virtutum ordinariam vim seu efficaciam. Prout occurrunt difficultates in studio, quas vel studiosus ipse non vincit nisi cogitans de imminente examine, sic et occurrunt difficultates in adimptione proprii muneris, super quas vel muneri addictissimus remunerationis immemor non praevalet.

---

<sup>32</sup> Cf. H a r e n t, art. *Esperance*, in *Dict. de Theol. Cath.*, V, 633 sqq.

<sup>33</sup> *Top.*, 3, 2, n. 21.

<sup>34</sup> S. Th. I—II, 62, 4, 3 m.